

PROLEGOMENA

A D

A R I S T A R C H V M,

Siue De veræ Criticæ apud veteres, ortu, progres-
su, usque, cum in cæteris disciplinis, tum, in
Theologia præsertim, Dissertatio.

Magnum olim antiquorum in di-
scendis disciplinis, magnum in do-
cendis, studium, judicium, indu-
stria, ac diligentia eluxit. Nam
& eas præmittebant quæ hoc tem-
pore a quibusdam vix discuntur, & ab ijs, quasi
minoribus initiati mysterijs, ad reliquas se confe-
rebant, quibus qui non prius imbuuntur, minus
absolute aut discunt cæteras aut docent. Una fuit,
cui nullum certum argumentum, nullam discipli-
nam, propriam aut unam, sed in uniuersum om-
nes, subjecerunt. quæ Iudiciaria, aut Critice, ab
illis dicta est. Ad quam sensim & per gradus, ut
plerunque nihil inchoatur simul ac perficitur, de-
uentum est. Postquam autem Aristarchus, alij-
que ejusdem fere temporis illustres viri, Ethicam,
Politicam, Physicam, Astrologiam, Geometriam,
Geographiam, Medicinam, & præcipue Theolo-
giam, quam tum adhuc Musæum dicebant, in
Musæi, Orphei, Lini, Epicharmi, Empedoclis,
antiquissimorum Philosophiæ autorum enarratio-
ne, qui aut singulas seorsim singuli tractassent
disci-